





*27*  
*27* *De iuramento.*  
3,254. 13  
1688 238  
11

DE  
**JURAMENTO,**  
SUB PRÆSIDIO  
**M. JOHAN: GEORGII**  
**LUDOVICI,**

Treptoâ Pomerani,  
publicè mentem suam  
exponet

**JACOBUS DEGNER,**

Stetinensis Pomeranus.

In Auditorio Veteri,  
Ad d. XIII. Aug. ANNO M. DC. LXXXVIII.

**WITTENBERGÆ,**  
Typis JOHANNIS WILCKII.

1688  
11

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-608238-p0003-7



DEO PATRIÆ & PATRONIS  
Inclutæ Reipublicæ Sedinensis,

Religione, Legibus & regimine notæ,

Pomerania Regia Metropolis,  
Inque mercimoniis, emundis, vendundis,  
aliquæ virtutibus undique celebris:

**PATRIBUS PATRIÆ CIVITATIS**

*Eminentissimis & Pre-Nobilissimis*

**DN. CONSULIBUS**

**CRISPINO Berstmann/**

**Erdmann Lindemann/**

**Christiano Strauß/**

*Consultissimo ac Nobilissimo*

**DN. SYNDICO,**

*Nobilissimis ac Amplissimis*

**DN. CAMERARIIS,**

**Johanni Ufer/**

**Daniel Dillies/**

**DN. SENATORIBUS,**

*Prudentissimis ac Sapientissimis*

**DN. SCABINIS**

*omnibus & singulis*

Mœcenatisbus PATRONIS, ac Fautoribus Summis

Hasce Studiorum Wittebergenium primitias

*Humillima manu pectorè gratissimo*

*dicat consecrat quia debet*

**JACOBUS DEGNER, Phil. Theosoph. Stud. Sted. Pom.**





I.

Licet in pertractanda hacce materia Autores sanè literatissimi pro vocabulo Juramenti adducere non erubescant *et Jusjurandum*, uti videre licet apud Nobiliss. Pfendorf. Lib. 1. de Offic. Hominis & Civis cap. II. §. 1. pag. m. 158. Attamen qvoniā non tantum varie difficultates circa hanc ipsam vocem occurrevidentur, dum, teste Beccano *De Originibus Latin. Ling.* Liter. I. pag. m. 418. Apulejus *Liber. de Deo Socratis*, hanc vocem formari, ait, à Deo, qvafsi Jovis jurandum. Alii, verò aliam derivationem introducere conentur. Sed etiam uti Theologivocabulum juramenti usitate adducunt, id qvod videlicet pafsim apud B. Martinum *Chemnitium part. 4. Examin. Decret. Concil. Trident.* Sic pariter etiam hæc vox freqventer legitur apud prophanos Autores, ut pote apud Joseph. Lib. 8. de Antiquitat. cap. 3. itidem apud Egyp. Lib. 5. cap. 45. &c. Sacerdotes Judæorum sermocinantes introducuntur, qvod nempe juramento confirmaverint, sè à Romanis nunquam fidem accepturos. Igitur etiam hanc vocem & nos retinere voluimus. Ubi tamen illud addendum, qvod apud Joseph. Lib. 4. de Bello Judæico cap. 7. Juramentum hocce sacramentum dicatur.

II. Ut autem èd accuratius mens hōstra in præsenti negotio intelligatur obserendum, qvod nonnulli qvidem cum Juramento confundere conentur Execrationes, qvibus rem nobis charissimam devovemus, ut de sinceritate nostra proximus certus sit. Imò & Obtestationes, qvibus in comparationem deducta re à nobis magnificienda, pro fitemur, non minus id, qvod asserimus cordi esse, qvam id, qvod nos magni facere apud omnes constat. Nobis tamen hæc se imvicem probè distinguenda esse videntur, propter diversas suas qvas habent formalitates. Confer. *Magnif. nosfer Ziegler. in Not. ad Lib. 2. Grot. de J. B. & P. cap. 13. §. 10.* referimusq; ad modo dictam obtestationem illam, qva Josephus verbis suis fidem facere conatur per vitam Pharaonis *Genef. 42. v. 15.* hoc enim tantum vult Josephus; qvam cara mihi est vita Pharaonis, tam verum est qvod hic dico idem Judicium quoq; ferendum est de illis verbis qvibus Eliæs Eliæ. Idem & constantiam suam declarare conatur *1. Reg. 2. v. 4.* quando ait; Vivit Dominus, vivit anima tua non defera te. Hoc tamen lubentes largimur, qvod ejusmodi Execrati-

A 2

ones

Pom.



oues & Obtestationes qvatenus ad assertiōem & promissum no-  
strum referuntur, o mī in d eadem sanctitate, qvā juramenta solent,  
sint servanda: Id qvod optimē ostendit Ofiander in Comment. ad Lib.  
2. Grotii de J. B. & P. cap. 13. Thes. II. ex dicto Matth. 23.

III. Illud quoq; non prætere undum est, qvod in præsenti non  
ad eo attendamus ritus circa juramentum occurrentes, hi enim di-  
versimode apud diversos populos adhibentur; Gentiles enim, no-  
tante *Alexandro ab Alexandre* Lib. 5. *Genial. dier. cap. 10.* interdum ferro  
apprehenso & stricto in jugulum gladio, cœlum, terram, Solem &  
ultrices furias advocare solebant, mox verre immolato & in mare  
dejecto, jusjurandum præbebant. Christiani in primitiva Ec-  
clesia jurabunt, tacto Evangeliorum libro, notante *Sozomen.* Lib. 6.  
*H. E. T.* qvi modus adhuc apud Pontificios observatūr, teste *Han. in*  
*Descript. V. & N. Pannoniae* pag. 145. A qvibus Muhammedani adhuc  
discentiunt, dum nimirum tacto suo Alcorano juramentum depo-  
nunt, aut etiam manu apprehensam barbam tenent, id qvod mul-  
tis in locis apud *François Ferdinand von Troilo in Itinerar. suo Ori-  
ental. legere licet.* Nam qvod juramenta yana à Muhammede saltem  
prohibita sint, illud clare ostendit *Hottinger. Histor. Oriental.* Lib. 2. cap.  
3. pag. m. 249. Apud Christianos adhuc hodiè ritus circa juramenta  
adhibentur, præsertim autem circa illa qvā à Magistratu imponun-  
tur, propter utiliē qvandam commonefactionem: inter alios ve-  
rò ille vitus erigendi duos digitos maximē concinnus, usitatus esse  
videtur, unde & vulgò de jurantibus dicitur, daß Sie zwei aus  
fünffen Zichen. Multi tamen sunt qvi tres digitos, pollicem nempe,  
indicem & medium erigendos esse censem in honorem & reve-  
rentiam S. S. Trinitatis. Reliqvos ritus apud varios populos adhi-  
bitos qui scire desiderat, adeat *B. Balduinum in Casibus suis Conscientie*  
*Lib. 2. cap. 9. Cas. 6.*

IV. Qvibus ita non sine utilitate adductis animus jam jam  
applicandy foret ad considerationem qvidditatis hujus juramenti,  
nisi homines levissimi atq; nefarii arbitrentur, planè abstinentum  
esse ab ejusmodi religioso actu nempe Juramento, & sic rem à no-  
bis declarandam dubiam facere conentur; inter alios verò maxi-  
mopere hocce negotium cura & cordi est ipsi Basiliidi, de eo enim  
*Euseb. Lib. 6. H. E. cap. 5. pag. m. 134.* seqventia refert; Non multis au-  
tem, inquit, post diebus, Basilides cum inter Collegas suis ob-  
causam qvandam Juramentum posceretur, ait, sibi non licere o-  
mnino



mninò jurare, pro eo qvod esset Christianus. Verum hic ipse non tantum mox debitam sustinere conatus fuit pœnam, vinculis enim eundem tradidit Aqvila præfetus tyrranicus ægyptii. Sed etiam ipsa fama ratio satis ostendit, quam absurdissima sit adducta sententia. *Baltasar enim Meissner. in erudita sua Dissertat. de Legibus Lib. 1. quaest. 3. pag. m. 46.* inter alios fines Legem naturæ maximopere sibi habere propositam tranqvillitatem publicam & felicitatem temporalem; jam verò quia inter Litigantes sàpiissimè alia probations deficiunt, nec fides & veritas aliter confirmari possit nisi per juramentum; Igitur qyoniam Jus naturæ vult pacem publicam, necesse qvoq; est ut velit medium nempe Juramentum in extremo etiam necessitatis casu ad hunc finem nos ducens. Hisce qvoq; addere possemus exemplum ipsius Salvatoris, de quo constat, ipsum aliquoties jurasse, exempla Angelorum, Patriarcharum & Apostorum, immo mandata ipsius æterni numinum, qvibus hoc ipsum in certis casibus juramenta injungit, nisi hoc ipsum jam jam satis factum fuisset. *Robert. Sanderson. Lib. de Obligat. Juramenti Fracl. 6. Sect. 19.* Illud tamen lubentes largimur, qvod Juramentum procul dubio sit vitandum, ubi conservanda humanæ Societatis necessitas, veritatis manifestatio & fidei confirmatio, non videntur ipsius usum aliquo modo efflagitare. Unde etiam optimè Salvator falsis Pharisæorum opinionib⁹ de juramento opponit autoritatem suam *Matth. 5. v. 37.* dicens; Erit sermo vester, Est est, non non: porro qvod ultra hæc adjungitur, ex malo proficiscitur. Ubi absurditas rei nos cogit ut statuamus, Christum hæc verba opponere non ipsi Juramento sed potius modo levitatis. Confer. *Gland. in Comment. ad Grotii Lib. 2. de J. B. & P. cap. 13. Thes. 21.*

V. Tandem jam animum convertimus ad considerandam ipsam naturam juramenti, quam *Nobiliss. Pufendorf. Lib. 4. de J. N. & G. cap. 2. §. 2.* per subseqventem explicat Definitionem, dicens; *Jusjurandum est assertio religiosa, qva divinæ misericordiæ renunciamus, aut divinam pœnam in nos depositimus, nisi verum dicamus.* Qvæ Definitio non nisi ratione verborum differt à nostra inferius tradidit, qvoad sensum enim optimè invicem convenient; nam èo ipso dum Deum in juramento testem veritatis invocamus, & quidem Testem, qui debet esse Vindex atq; ulti contra mentitem, èo ipso procul dubio petimus, ut Deus non tantum nullam misericordiam velit erga nos exercere in fortunis nostris sed etiam



pœnam debitam nobis irrogare, si nimirum aliter loqvar ac in animo est ad damnum quoddam Proximo inferendum. Verum quia Definitio Doctoris Baldini, quam tradit Lib. 2. de Cas. Conscient. cap. 9. de Juramento magis usu recepta atq; satis perspicua ut & clara est, quapropter etiam hujus beneficio sequentem in modum declarabimus. Juramenti uaturam, dicentes; Juramentum est confirmatio religiosa rei dubiæ, in qua Deus ipse testis invocatur & vindex atq; Ultor contra mentientem appellatut. Robertus quidem Sanderson Lib. de Obligat. Jurament. Prelect. 1. §. 2. loco generis in Definitione Juramenti actum ponere non erubescit; Ast qvoniam ipse confitetur §. 5. quod Juramentum non sit simpliciter actus religiosus, sed poti⁹ talis, quo confirmatur res dubia; Propterea etiam non tam generis remoti mentionem faciendam esse arbitramur, qvoniam adducto genere proximo natura juramentum satis intelligipotest. Confer. Philipp. Du Trieu in Manuduct. ad Logic. Tractat. 2. part. 2. cap. 1. Articul. I. Nec cum Davide à Mauden describo Juramentum per affirmationem & negationem, has enim voces simul confirmatio in cludit, qvoniam & ille, qui sensu affirmativo, & ille qui negativo sensu jurat, rem dubiam confirmare conatur teste experientia. Dicitur confirmatio Juramentum autem in oppositione ad nudam assertionem quæ Juramento confirmari solet. Et quidem audit confirmation religiosa, quia tendit in honorem Dei, per agnitionem veritatis, Scientiæ, Justitiæ & potentiarum divinarum.

VI. Et ut in hac rerum universitate res aliae ita sint comparatae, ut propter earundem certitudinem Homo sanè easdem confirmare non auderet juramento sine summa absurditate: cuiusmodi sunt res universales, quarum datur Scientia demonstrativa. It: illæ, quas existere ipsa sana ratio dictitat, & illa, cuius existentiam Creaturæ singulæ suo confirmant testimonio. Interim tamen dantur res quædam particulares, dantur res singulares, quæ propter varias occurrentes circumstantias & mutabiles casus, quibus sunt obnoxiae, maximopere dubiae sunt: dantur & actiones de quarum veritate vel falsitate testimonia humana nos non satis certiores reddere valent; tum propter ignorantiam humanam, tum etiam imido quod ingenium humanum facilime vito mendacii se obstringat. Et tamen maximopere expedit hominibus, ut de rebus inter ipsos controversis & mutuo agitatis habeant aliquam certitudinem;



dinem; qvia absqve eadem nulla esse potest inter homines fdes, aut justitia, qvæ firmissima sunt vincula humanæ societatis. Igitur procul dubio etiam necessè est, ut in ejusmodi dubio casu assertum nostrum confirmatione religiosa eò certius reddamus, hac confirmatione religiosa Deum testem invocemus, ac invocatum, vindicem contra mentientem appellemus. Id qvod optimè perspetuum erat Martiano, hic enim cum unā cum Episcopis, in Synodo qvæ in Sangario Bithynia erat, congregatis de fide Sabbatii (qui ex Judæo Christianus fæctus erat) maximopere dubitabant, & cogitabant Sabatium petiturum aliquando Episcopatum & sic divisuram Ecclesiam: propterea ipsum juramento obstringebant & sic confirmatione religiosa hanc rem dubiam certiorem reddere cogebant, apud Socrat. Lib. 9. H. E. T. cap. 37.

VII. Invocamus autem hacce confirmatione religiosa Deum testem non tantum quando vel juramus per vitam Dei omnipotentis, secundum illud Jerem. 4. vers. 2. vel etiam quando dirigimus hocce juramentum ad verum Deum Zebaoth, juxta pronunciatum Esiae cap. 19. v. 18. it. cap. 65. vers. 16. Sed etiam ille dicitur invocare Deum testem qui per falsos Deos jurat, modo illos verè pro Deis habeat, & hanc ob causam adstringitur quoq; ad observandum illud qvod juratum est, & si sefellerit, revera perjurium committit. Confer. Anton. Le Grand. in Institut. Philosopb. secundum Principia Renati Des Cartes part. 10. Articul. 30. pag. 602. Notantur autem dico qui per falsum Deum jurat, qvoniام sanè si juramentum qvisq;am conciperit per aliquam rem qvæ opinione divinitatis destitutur, hoc nimis sensu, ut illa res testis atque Ultrix perjurii invocetur, ille sanè absurdissimus esset dicendus. Qvapropter etiam optimo jure magni nominis B. Baldinus loc. citat. cap. 9. Cap. 2. pag. 330 reprehendit Azorium, qui Lib. 10. Institut. cap. 2. & 3. vult jurandum esse per sanctos, non propter ipsos, qvæ numeris & divinitatis aliquid haberent, sed propter Deum, qui est autor omnis veritatis & Sanctitatis, qvam habent sancti: qvemadmodum imagines coluntur non propter ipsas, sed propter Deum omnis sanctitatis datorem & largitorem. Verum uti B. memoria Dn. D. Qpendsted. in Theologia sua Didacticæ Polémica parte 4. cap. 11. Sect. 2. qvæst. 6. uberrimè demonstravit cultum illum religiosum, qvem Pontificii ipsis imaginibus Sanctorum exhibent, esse absurdissimum; ita etiam nos optimo jure asserere possumus, juramenta illa, in qvibus Sancti tanq;am testes



testes rei invocantur dubiæ esse absurdissima, qvoniā nec sūnt  
Deus, confitente ipso Azorio, nec erunt omnisci, ut possint ani-  
mum hominis intueri & sic testimonium infallibile de mentis suæ  
cogitationibꝫ perhibere. Nec omnipotentiam à Deo habent, ut  
possint vindicem atq; Ultorem contra mentientem agere. Eò ipso  
verò dum Deus tanq; vam testis in juramento invocatur, clare hoc  
ipsum distinguitur à Voto. In voto enim transfigitur cum Deo ipso,  
ut cum parte; cui vota immediatè nuncupantur: Ast in Juramento  
transfigitur cum homine, Deus autem adducitur, non ut pars, sed  
ut Testis.

VIII. Ultima vera qvod concernit nostra Definitionis verba,  
qvibus assertum nobis fuit, qvod per Juramentum invocetur Deus  
non tantum ut Testis rei dubiæ, sed etiam Vindex & Ultor perjurii  
appelletur contra mentientem; illa ipsa Robert. Sanderson. Loc. ad-  
duct. pag. m. 9. planè è medio tollere conatur, qyando sequentem  
in modum differit; Dixi in Definitione Deum testem ~~et~~ & præ-  
cise, non autem judicem aut vindicem, qvod tamen à nonnullis est  
additum: verè qvidē, sed fortasse nō necessariò, idq; vidi fieri non de-  
bebat, qvia à Definitione abesse debet omne superflū. Fateor, per-  
git, utrumq; facere illum qy iurat; nempe & Deum testem adducere  
veritatis ejus qvod dicitur & vindicem falsitatis: sed illud pri-  
mariò & perse, hoc verò secundariò & ex consequenti. Verum  
qvomodo hæc verba nostra Definitionis, qvibus Deus appellatur  
Vindex & Ultor contra mentientem, ex abundanti in hanc Definitionem  
sunt introducta, nondum perspicio, nec etiam illud mihi  
satis persuadere possum, cum teste Clariss. Nold. Log. Recog. cap. 14.  
Præcept. 3. Definitio sit pars methodi explicans qvíd res sit; Jura-  
mentum verò unicè eam ab causam suscipiat, ut homines ad e-  
nunciandum verum aut servandum promissum eò firmius adstrin-  
gantur metu divini numinis omnisciū atq; omnipotens: hinc pa-  
tet adducta verba nullo modo tanq; vam superflua, in nostra occur-  
rere definitione, sed potius maximopere facere ad explicandam  
juramenti naturam, qvoniā ~~to~~ esse Vindicem & Ultorem medacū  
videtur malum ( scil. pœna ) hominibus alias maximopere vitio  
mendacii deditis; jam verò nō sanè majorem metum ad servandum  
promissum & enunciandum verum in homine excitare potest ulla  
res, qvamilla, qvæ à Phantasia cognita ullo modo homini judicatur  
mala. Confer. Adrian. Heerebord. Colleg. Ethic: Dissitat. 13. Thes. 3. num. 3.

IX. Circa



IX. Circa hanc modo explicatam Juramenti naturam observat. *Magnif. noster Ziegler in Not. ad Groti Lib. 2. de j. B. & P. cap. 13. §. 14.* qvod tres illius dentur comites, qvorum primus ipsi est veritas, alter judicium, & tertius demum iustitia, qvibus adhuc quartus addi posse videtur, nempe possibilias: ita qvidem ut duo priores magisq; comitentur ipsum jurantem, duo posteriores autem maximè rem de qua Juramentum instituitur. Primam qvod concernit Juramenti proprietatem, qvæ ex parte Jurantis maximè fluere dicitur est veritas; Jurans nempe clare exprimat qvid sentiat, non verò ambiguè, & hæc proprietas sua sponte fluit, nam si juramentum eam ob causam est institutum, ut per illud ipsum res dubia religiose confirmari debeat, qvilibet facile intelligit, qvod verba, qvibus mediantibus Juramentum exprimitur, non debeant esse ambigua, qyoniam alias res dubia & incerta, etiam adhibito Juramento, maneret adhuc dubia & incerta, confirmatione etiam nulla locum hoc pacto posset habere, sed totum juramentum fore frustraneum. Cui asserto addi meretur dictum hebræorum: 6. v. 16. Ubi expresse Spiritus Sanctus afferit, qvod omnis controversiæ finis sit Juramentum, ad confirmationem adhibitum, qvod ipsum *B. Balduin. part. 3. Philos. sobr. sect. 1. conclus. & ult.* Seqventem in modum explicat; hoc ipso docemur, inquit, si veritas alio non potest inquiri medio, licere Juramentum tanquam ultimum medium vocare in subsidium ut ita exploretur veritas & terminetur exortum litigium, qvod si vero permittatur, ut inter Jurandum adhibeantur & qvivocationes & aliud verbis Juretur aliud vero mente reservetur, tunc tale Juramentum non manifestat veritatem, nec finiri per illud possunt controversiæ, sed magis perplexæ dubiæq; redduntur. Unde facile constat, maximopere errare illos Scholasticos, qui statuunt verba Juramenti posse esse ambiguæ, ita ut vera sententia in mente teneatur absq; metu perjurii. Qvos accuratissime refutatos legе apud *B. Balduin: loco sepe laudato Libr. 2. c. 9. casu 7.* Qapropter etiam merito diras sustinuit penas hæreticus ille hæretorum Arius, merito terror eum ex qvodam conscientiæ secreto constringxit, merito demum præ doloribus acerbissimis è vita discessit, eo, qvod Imperatorem decipere conatus fuisset, Juramento qvodam ambiguous verbis concepto; ita enim *Socrates Lib. 3. historia Eccles. Tripartit.* 10. de pessimo hocce facto disserit; Imperator autem de Ario experiri volens, eum ad pallatum evocavit, percuti statusque est, an Nicani concilii decreta servaret, ille verò nihil moratus repente subscriptis decreta fidei per subscriptionem arte callida circumveniens. Et Imperator qvidem miratus ei intulit iusjurandum, qui etiam hoc fraudulenter egit, qvodammodo Jusjurandum arte deludens. Ferunt enim de illius



machinatione. pergit citatus Autor, conscripsisse Arium hæresin suam  
in charta, qvam subala ferebat: unde verè se Jurare creditit, dicens, sic se  
sapere sicut scripsisset. Veritas qvoq; hæc à Jurante requisita, excludit  
refervationes mentales à nonnullis Scholasticis approbatas, hi enim sta-  
tuunt, qvod etiam si verba significacione ambigua non sint, posse tamen  
sine mendacio tacitam qvandam mentis cogitationem pro vero sermo-  
nis sensu haberi, licet is, cui Juratur, aliter intellexerit. Sic putant fas es-  
se, cui qvam Jure Jurando, ut vitam redimat, Latroni pecuniam promit-  
tere, cum tamen in animo habeat, nullam ipsi dare qvia tacite fecum dic-  
it; dabosi debo. Verum aut illa in mente reservata cogitatio tendit in  
damnum illius cui Juratur, aut non. Si prius, sane non potest sine mendacio ejusmodi tacita mentis cogitatio retineri, qvoniام mendacii  
formalis ratio in eo consistit, ut aliquis dolo malo & definiata ex mali-  
tia alteri, diversa ab animi sententia, proferat, eo fine, ut isti noceat,  
aut vana ipse eidem illudat, conferatur Nobiliss. Pufendorf. Lib. 4. de Jure  
Nat. & Gent. c. 1. §. 8. si verò posterius, nempè si tacita in mente reservata  
cogitatio non tendit in damnum ejus cui juratur, qvare non vellet  
Jurans optimum suum affectum, quem in animo fovet erga eum, cui  
Juratur, eidem manifestare, quam poti⁹ eundem sine ulla causa adunco-  
naso suspendere. Quibus addi merentur ea qvæ habet Robert. Sander-  
son Lib. de obligatione Juramenti præl. cōtione 6. scđt. 5.

X. Altera Juramenti proprietas qvæ ex parte Jutantis maximopere  
suum ortum trahit, dicitur esse judicium, ut nempe Jurans intellectu  
polleat & maturo Judicio Juret. Qnoniam autem Judicium intellectus  
impedire potest, vel per defectum ætatis, ut in pueris; igitur etiam in fo-  
ro externo certi anni sunt constituti, ad quos antequam pervenerint,  
pueri nec ad Juramentum assertorium præstandum admittuntur, nec  
coguntur ad promissorium in judiciis. Verum in foro conscientiæ, sive  
interno magis attenditur num ne puer Jurans sit doli capax, ut possit ni-  
mirum qvæ sit natura Juramenti & vis ejusdem, & si tenuiter, aliquatenus  
tamen intelligere, tunc sane Juramentum ab eodem præstitum ob-  
ligat, qvia processit ex animo Jndicandi facultate aliquavatenus prædicto.  
Et qvia etiam atque etiam furor ut & dementia summoperè turbant,  
Judicium intellectus Jurantis, hinc facile constat, ejusmodi Juramenta  
in quantum sunt actus amentium, nullatenus obligare. Qvod si autem  
quis alias furiosus & amens, lucidis tamen animi intervallis per certa  
tempora ita fruatur, ut per illa intervalla mentis sua sit compos; Jura-  
menta ab illo tunc præstata non minus obligant ad sui impletionem,  
quamdiu contigerit eum rectorationis usu frui, quam si ab homine sa-  
nx & sedatz mentis præstata fuissent. De cætero etsi vinum ut & cere-  
visia



visia in maxima copia sumta nihil sapissime moderabile s'vandeant; sat tamen in praesenti, ubi de Juramento agitur, dispiciendum est qualis quantumque fuerit ebrietatis excessus. Num scilicet in eo gradu, ut impedit tantum aut perturbaret usum rationis, an in eo ut ipsam mentem penitus auferret, hominemque summota ratione quasi in feram aut bestiam converteret. Rationis usu penitus sublato qui Juravit, tenetur, ubi ad sanam mentem redierit & ebrietatis & temerarii Juramenti seriam agere penitentiam: non tamen obligatur Jurans ad faciendum, quod se facturum juravit; quia quo tempore juravit, non habuit eum rationis usum qui necessarius fuisset ad Judicandum de rebus agendis, cum aliquam animi deliberatione. Ast rationis usu impedito tantum, non autem penitus sublato quin posset, quantumvis ebrius de rebus agendis aliquo modo judicare & statuere, videtur etiam obligari ad Juramentum adimplendum, tum ratione antecedentis deliberationis, tum in aliquam temeritatis sua poenam, ut dilat in posterum sapere & sobriam agere vitam, ne id in se temere admittat ebrius, quod eum sobrium ringat.

XI. Hisce praemissis dispiciendum venit numne dolus possit turbare Judicium intellectu, ad legitimum juramentum requisitum: hoc sensu; si quis alieno verbo vel facto in errorem inductus jurat se aliquid facturum, quod nisi ab alio deceptus, non fuisset juratus. Qua occasione disputatur ab Aujustino, Masio &c. de Juramento a Iosue Gibeonitis praestito, qui nimurum simulabant, se & peregrinos esse & conjunctionem cum populo Dei querere *Iosue* 9. v. 18. ubi sane dici non potest, dolus Gibeonitarum causam dedisse contractui vel Juramento Iosue, quoniam praesentes erant Gibeoniti: sed saltem in eo error verbabatur Principium Israelitarum, quod ratione Patriæ melius fuisset ponderandum: Unde & hic dolus in contractu Gibeonitarum cum Josua fuit circa rem extrinsecam & accidentariam, propterea quoque non cessavit esse validus confer. Comment. *Oland. ad Lib. 2. Grotius de Jure belli & pacis. c. 13. Thes. 2. & 3.* Quidam suppositis facile jam constat Iosuam cum suis non fuisse haec in re plus a quo superstitionis, quod non ausus fuerit rescindere Juramentum, cuius religione obstrictum fessiebat. Patet etiam recte Iosuam & Principes restituisse populo qui putabat, Gibeonitas Jure occidi posse, hisce verbis, juravimus iis in nomine Domini Dei Israel, qua propter etiam non possumus eos contingere v. 10. Id quod nostrum assertum Deus ipse etiam duplice comprobavit signo, altero nempe, cum pugnanti Iosue pro Gibeonitis adversi conjuratos in eorum perniciem Reges victoriam in signem concessit, edito in simul illustri miraculo *Iosue* 10. v. 13. Altero, quod post centum superque annos Saul Regis injustam pacti cum Gibeonitis fœderis vi-



olationem triennii famæ publica vindicaverit 2. Samuel. I. v. 1. confer.  
quoque hâc de re magnificus noster Ziegler in Not. ad Grot. Lib. 2. de J. R. S.  
P. c. 13. §. 3. Verum si Juramentum dolo illicitum concerneret rem illicitam,  
tunc procul dubio aliter Judicandum foret & dicendum, quod valens Imperator neutquam ad strictus fuisse servandi illud juramento,  
quo Juraverat (seductus à conjuge & Eudoxio hæresi Arrianæ ad-  
dicto) se velle in impietate dogmatis Arrianorum semper persistere, &  
undique contraria sentientes expellere vid. Theodoret. Lib. 7. H.E.T. c. 13.

XII. Jam jam adhuc supereft, ut circa proprietatem hancce secundam  
ponderemus numne vis & metus impeditre possint, quo minus Jurans  
polleat satis maturo intellectus Judicio. Nempe, si maximè gra-  
vi metu, utpote captivitatis, cruciatu, vel ipsius etiam mortis exige-  
retur res aliqua ab homine qua nec illicita esset, nec impossibilis, sed i-  
psi tantum Juranti, plus, minusve incommoda; ut si quis iter faciens in-  
cidet in Latrones, qui mortem ipsi strictis gladiis minarentur, nisi  
promissa sub Juramento certa pecunia summa vitam redimeret; ubi af-  
serimus, & licitum esse in hoc casu pecuniam promittere, & promissione  
Iure Jurando firmare; cuius asserti rationem eam suppeditamus, quod  
è duobus propositis malis liceat, imò deceat, prudentem minus eligere:  
Jam verò minus malum est pecunia jaetura, quam vita, quia licitum  
est, tale Juramentum præstare, certum quoque erit, Juramentum ejus-  
modi obligare, imò necesse est, ut pactum cum prædonibus pretium  
persolveretur. Nec dubitemus, numne Deo placeat quod Ego innocens  
me bonis meis spoliem & illa in impium nebulonem conferam, quoni-  
am Deus uti odio prosequitur omne homicidium, ita quoque sane non  
delectatur eo facto, si quis ipse finem Vitæ suæ imponeret; Jam verò si  
aliquis recusaret Latroni Juramentum desideratum præstare, imò si  
nolleat ipsi desideratam promittere pecuniam, procul dubio non obsta-  
ret nequit in Latronum, qua ipsi stimulati illum propter pertinaciam  
sua interficerent, & sic ad minimum sensu morali in causa fuisse, quod  
vita excedere debuisset, confer. Clariſſ. Pafcha Rector Collegii Gröningi-  
ani Stargardensis in Collegio suo ovaꝝ. part. generali punc̄t. 2. c. 3. sect. I. §. 20.  
Et ut ut hocce Juramentum videatur esse coactum, coactum tamen  
saltē est ex parte principii actionis externi & remoti; sed ex parte  
principii proximi, quod est in omnibus actionibus humanis voluntas,  
nulla potest esse coactio, uti hoc ipsum alio loco à nobis fuit demonstra-  
tum. Quia igitur in casu necessitatis solutio pecunia præ morte liberè  
fuit electa, procul dubio quoque hocce placitum Deo approbante erit  
præstandum, eò, quod ipse Deus injungat liberè eligenti, se debere o-  
mnino facere secundum illud quod egressum est ex ore suo; quapropter  
et-

etiam non videtur satius & Deo acceptius, pecuniam à Jurante protinus  
sunt inpias causas erogare, quam nebulonis alicujus malitiam eadem  
alere; Quoniam hoc pacto sanè Jurans non faceret secundum id, quod  
egressum erat ex ore ipsius.

XIII. Tertia qvæ Jam nobis occurritjura menti proprietas, qvæque  
maximoperè comitem agit ipsius rei, de qua Juramentum instituitur,  
est & vocatur Justitia, ut nempè quod Juratur, sit licitum & honestum.  
Ubi probe distingvendum esse monet *Magnificus noster Zieglerus in Notis  
ad Hugois Grotii L. 2. de J. B. & P. c. 13. §. 6.* Inter Juramentum illicitum  
& Juramentum de re illicita factum. Illicitum posse esse, ait, ratione ali-  
cujus circumstantia & qualitatis vitiosæ, ut si sit temerarium, si prodige  
promissorum &c: De re illicita autem illud fieri dicitur, quod pro ob-  
jecto habet, rem lege vel divina vel humana prohibitam, quarum illæ,  
qvæ nempè Legibus divinis moralibus omnibus hominibus in univer-  
sum sunt prohibita dici conveverunt eruditis, illicita primario talia. Il-  
læ vero res qvæ mediate & vi illius generalis mandati divini, quod præ-  
cipit rectoribus in omnibus licitis & honestis esse obediendum, sunt  
prohibita, appellantur illicita secundario talia, & non habent locum a-  
pud omnes omnino homines, sed tantum respectu illorum illicita di-  
cuntur, qvi sunt aut membra alicujus communis, aut eorum, qvi ali-  
quo munere aut officio funguntur, aut in certo aliquo vita statu aut  
conditione sunt constituti. Jam et si gravissimum peccatum sit jurando  
promittere vel vovere rem legibus divinis prohibitam, et si enormè pec-  
catum sit, quod si homo in certo aliquæ vita genere constitutus juret,  
qvicquid legibus illius communis repugnat. Et si quoque mortale  
peccatum sit, quod si homo jurando promittat id, quod naturæ aut rati-  
one illius muneris sive vocationis, in qua vivit, non est consentaneum:  
multo tamen gravius peccat, si nimis adimpleret illud quod promisit:  
quoniam hoc pacto duplicitis peccati reus fit, unius, quod est ejus speciei  
cujus est factum in se consideratum, alterius, quod est violata religio-  
nis, ortum ex irreverentia & abusu nominis divini, cuius autoritate  
rem malam, quantum in ipso est, confirmat. Unde procul dubio enor-  
me fuit peccatum Macedonianorum, quod non tantum inter se habu-  
erint conjurationem, se nunquam à sua hæresi velle recedere, sed et-  
iam duplex inde fiebat hocce peccatum, quod nec precibus nec pro-  
missionibus locum relinqvere vellent, quibus mediantibus Imperator  
eorundem quærebat salutem vid. *Sozomenes L. 9. H. E. T. c. 43.* E contra  
vero David optimè facit, dum Deo gratias agit, qvi eum à nefario  
incepto retraxerat. *Samuel v. 25. v. 33.* Juraverat enim David, te velle  
non tantum totam Nabalism familiam eradicare, sed etiam non permit-  
tere



tere ut ipſi vel Canis supereret v. 22, qvod Juramentum à Davide pre-  
ſtitum procul dubio summe erat illicitum, nam eti Nabāl non ſolum  
ingratum ſe exhibuerat erga Davidem, eti etiam convitia & probra  
conjecerat in Principem populi, attamen adhuc tanti non erant convi-  
tia illa, ut propere ea ejusmodi atrocem vindictam ſumere potuiffet de  
**Nabale:** Erat enim ille designatus quidem imperii candidatus, nondum  
tamen gaudebat Jure gladii & Mejeſtate, qvarē etiam ejus Majeſtas  
laſa dici non poterat, qvam oblifionem magna alias dignus fuifet pa-  
na Nabāl. Ex modo adductis jam ſufficienter conſtat, qvarē Juramen-  
tum silentii hominē non obliget, ſi nimirum aliquis incidentis in La-  
tronē cogeretur, ne ab illis occideretur, Juramento silentium promit-  
tere: Nunquam ſe ſcīl. ipſorum latrocinia cuiquam revelaturum; aut no-  
mina Magistratui prodiuitur, qvoniā res ſanē de qua factum fuit  
hocce Juramento, eft illicita, ſi enim omne illud preſtare debemus  
hominibus, qvod nos ab ipsiſ desideramus, juxta illud. *Marth. 7.v.12.* pro-  
cul dubio illicitum erit de immune periculo non admonere proxi-  
mum, illud tamen eruditē obſervat circa preſentem materiam *maxime*  
*Reverendus Dn. D. Schwartz. Sereniss. Electoris Brandenburgici Confiliarius*  
*longe gravissimus, Prepoſitus Synodi Stargardiensis, ut Et templi Mariani Pa-*  
*ſtor Primarius meritiſſimus, in diſertatione quadam peculiari de obligatione*  
*conſciencie hic Witteberg e habita §. 9. qvo d tacendum fit Juranti qvoad*  
*speciem, non verò qvoad genus, id eft damnum qvod ipsi ut privato La-*  
*tronē intulerunt, non revelandum eſſe in genere, tamen debere mo-*  
*neri Magistratum, ut à Latronibus vias purget publicas. Confer. Oſlander*  
*in notis ad Librum 2. Grotii de J. B. Et Pacis c. 13. Theſ. 14.*

XIV. Et qua via fieri potest, ut res in ſe licita ex errore videri poſſit alicui  
illicita; fieri etiam potest, ut quis poſt habita illa conſciencia erronea ad-  
huc tamen Juramento pollicetur ſe hoc vel illud facturum: In quo caſu  
obſervandum, quod tale Juramento non fuerit fuceptum ſine gravi  
peccato, temeritas enim Jurandi indicat, quod, eti in preſenti ſaltē Ju-  
raverit, de ea re, quæ ſibi apparuerit illicita, nihilominus tamen ſe Ju-  
raturum, ſi fuifet res verè illicita. In ejusmodi caſu qvoque; attendendū, ta-  
le Juramento non obligare, nec poſſe aliquem, ſtante illo errore, illud  
preſtare ſine peccato, quod Jurans poſmit, mala enim, juxta tritum il-  
lud, quæ Juramento poſmittuntur pejus fervantur. Verum ſi Jurans,  
poſtea melius edo&tus, errorem ſuum agnoscit & corrigit; tunc Ju-  
ramento quod prius non obligabat, exinde incipit de novo obligare.  
Juramento enim ineſt obligandi potentia, quafque naturalis & inseparabi-  
lis; quæ potentia ſempernata eft apta exferere vires suas & prodire in  
actum, nill ab aliquo impediente prohibeatur: ita ut Juramento, re-  
mota

mota illa errantis conscientiæ obligatione , quæ ipsius vim impeditbat prius, sine omnimora aut alterius rei ope, ex vi sua obliget.

XV. Deniq; quartam Juramentum proprietatem diximus possibiliatem, quæ maximopere comitem agit rei de qua Juramentum instituitur & importare dicitur illud, quod nimirum dicta res nullam implicare debet contradictionē, nec in se nec ratione alicujus circumstantiæ, nempe loci, temporis &c. h.e. res de qua juratur, ita debet esse comparata, ut nō tantum ratione sui à jurante præstare possit, sed ut & circumstantiæ pariter permittant, ut à jurante illud in actum deduci possit, quod sub Juramento promisit. Unde proculdubio absolum foret, si quis jurando & promitteret se a finum doctrum literas. Imo absurdissimum esset Cagi Juramentum hodie Viennæ existens, si eodem promitteret, se cras cum Titio cœnaturum Parisis. Cejus ratio est in promtu, quoniam Juramentum ejusmodi plane est nullum, idèo, quod non participet de definitione veri Juramenti: Juramentum enim adhibetur saltem ad religiose confirmandam rem dubiam, non vero eam, quam contradictionem involvere, & sana ratio & sensus ipsi dictitant. Nec etiam Juramentum hocce nō servatum in nos provocat vindictam divinam, quoniam divina vindicta ab illis saltem expectari debet, qui per potentiam agendi actu offendunt Justitiam divinam. Nec etiam mendacium in Juramento de re impossibili metuendum est, quia Jurans de re impossibili non dolo malo &c. alteri diversa, ab animi sui sententia, profert, ut ipsi noceat: Quoniam animus Jurantis jam idem cogitabat, posse quidem ejusmodi Juramentum Jurantem proferre, sed absq; effectu, imo ille, cui Jurabatur satis perspicere valebat, nullum damnum ex hocce promisso Jurato sibi expectandum esse: quapropter quia solutio ejusmodi argumenti nec Deum vindicem, nec etiam ultorem per timescere debet, propterea etiam Jurans non obligatur hocce suo Juramento.

XVI. Quoniam igitur dicto modo natura juramenti fuit exposita cum suis proprietatibus, superest adhuc ut consideremus potestatem, quam sibi arrogare videtur Pontifex Romanus, dum simili modo, uti Principes seculares dispensant in Legibus suis, pariter ille quoq; in votis & Juramentis dispensare conatur, magnaq; audacia subditos Regum à fidelitate sua absolvit, Principum contractus & foedera rescindit, Votorum & Juramentorum vel arctissima quæque vincula commutat, relaxando, dispensando, contraria jubendo &c. Verum quia Juramentum eodem ipso actu & in eodem instanti, quo Juranti inducit obligationem, servandi promissionem, acquirit etiam simili cui Juratur Jus ad rem promissam: hi enim duo effectus Juramenti ita conjuncti sunt, ut posito altero vel sublatlo, alterum quoque necesse sit simul poni & tolli. Jam vero si dispensatione tolleretur obligatio Jurantis, tolleretur quoque Jus ejus cui Juratur, & per consequentem injuria patetur à Papa, ille, cui dispensatione Jus suum adimeret



172

meret ipso reclamante, id quod ab ejusmodi sanctissimo Patre ne quidem cogitare debebat. Et ut ut alii Pontificiorum, qui scilicet prudentiores videri cupiunt, attribuant ipsi tantum dispensationem impropiam sic dictam, hoc sensu, ut ille declaret saltem Juramentum in eo casu non obligare proprium bonum quod impediretur aut malum quod sequeretur, si illud Juramentum servaretur. Verum quoniam concedente Bezan. in appendice disputationis de fide hereticis servanda & explicante B. Baldwin. l. sape c. L. 2. c. 9. casu. 18. per bonum non impediendum intelligunt incrementum Ecclesia Romanae ejusdemque utilitatem, & per malum non admittendum, ejusdem decrementum. Igitur posito, neuriquam vero concessio, incrementum Ecclesia Romanae Apostatica esse bonum (quod tamen haec tenus nondum fuit probatum) nondum tamen sequitur, faciendum esse malum ut exinde eveniat bonum: Fidem nempe Deo datam non esse servandam, ut eo magis incrementum sumere possit Ecclesia Romana. Imò suum, cui nempe Juratur, non esse tribuendum, ideo, quod impeditur incrementum Ecclesia Romanae Apostatica. Accedit quod si sermo sit de malo turpi atque in honesto, hoc sensu, ut Pontifex R. declarare debeat, Juramentum de re illicita factam, non obligare, tunc sanà supervacançia foret declaratio Pontificis, quia Jurans potest propria autoritate imo tenetur retractare, quod de re illicita Juravit, non expectata Papæ vel etiā alterius cuiusquam dispensatione confer. Ofiander in Comm. ad Grot. L. 3. de J. B. & P. c. 1. §. 17.

XVII. Longe vero aliter se res habet cum superiori legitimo, hic enim, si non vel expresso vel saltem præsumto consensu suo (sive antecedente sive conseqüente) promissione subditum semel confirmaverit, potest omnino Juramentum ejusdem, factum de rebus & actionibus, quæ directioni superioris sub sunt irritum facere, ejusdem obligacionem tollere: idq; ideo, quia qui haher in alterius actiones & res imperium, in ejus præjudicium non potest a subiecto aliquid disponi, & ubi factum fuerit, si idem rescindere licet. Unde facile constat supervacançiam esse illam responcionem, quæ auctor aliquis antea adducit, si facere conatur argumentum Adversariorum, dum scilicet hunc in modum suam exponiat mentem; ad tertium Respondeatur, inquit, sub Juramentum promitti interdum aliquid quod est liquido honestum vel licitum, vel de quo est dubium, utrum sit licitum & utile, necne. Priori modo, pergit, non fieri irritatio Juramenti aut dispensationis circa illud; posteriori autem modo non est absurdum si contingat, quia est informatio conscientie informationis indiget. Nam certè nec potest aliquid promitti ex illis rebus, quæ superioris directioni sub sunt, quod esset liquidò honestum vel licitum, nec debet dubitari an non Juramentum factum de rebus, quæ sub sunt alteri, factum sit de rebus licitis, cum obligatio quæ sit a subdito in iis rebus in quibus superiori sub est, non poret, nisi de illicita fieri. Id quod optime declarat *Magnificus noster Ziegli* in *Nos. ad Grot. Lib. 2. de J. B. & P. c. 17. §. 20.* Quando ita differit; Juramentum de re per Justum superioris interdictum illicita ideo non obligat, quia præstatur adversus primum præceptum secundum tabula, contra quam Juramentum non obligat; hinc legi Hebræorum Num. 30. Pater poterat rescindere vota Jurata filia familias, maritus, uxoris, Dominus servi &c. si videretur.

Wittenberg, Diss., 1688-89

ULB Halle  
003 731 693

3



f


56.

bDA7





**Farbkarte #13**



3,254. 13  
298  
1686

**JURAMENTO,  
DE  
SUB PRÆSIDIO  
M. JOHAN:GEORGII  
LUDOVICI,**

Treptōa Pomerani,  
publicē mentem suam  
exponet

**JACOBUS DEGNER,**

Stetinensis Pomeranus.

*In Auditorio Veteri,*  
Ad d. XIIII. Aug. ANNO M. DC. LXXXVIII.

WITTENBERGÆ,  
Typis JOHANNIS WILCKII.

